



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et  
Exercitiis Accommodatæ Libri IV**

**Haunold, Christoph**

**Ingolstadii, 1678**

LXXVII. Quid sit Vnio Hypostatica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

## CONTROVERSIA LXXVII.

## VNIO HYPOSTATICA.

*Quid sit.*

347. **H**ÆC Controversia inter P. Haunoldum lib. 4. a. n. 224. usque ad n. 231. explicantem, in quo Unio hypostatica consistat, & inter Adversarium, arbitrantem se id præstare distinctius, aliâ compositione non indiget, quàm ut Adversario locum indicem, in quo P. Haunoldus eadem prædicata essentialia unionis exponit, & insuper alia, quorum Adversarius ex S. Thoma mentionem facit, & quorum facere oblitus est. Primò dicit Adversarius; [Præter naturam humanam & Personam Verbi, requiri aliquam superadditam realitatem, ut extrema sint unita, manifestum est ex eorum separabilitate; & Thomistæ solum cum D. Thoma 3. dist. 2. q. 2. a. 2. in corp. dicunt, quod in humana natura Unione ad Divinam, nihil potest cadere median formaliter unionem causans; cui per prius humana natura conjugatur, quàm Divine persona. Ceterum, post eundem idid, ad q. 3. asserunt, ex hoc, quod motus assumptionis humane nature terminatur ad personam, consequitur hæc relatio, quæ dicitur Vnio.] Hanc realitatem superadditam extremis ex eorum separabilitate etiam probat P. Haunoldus n. 224. longè fusiùs. Et n. 226. ait, eam consequi ex motu assumptionis, eò quod assumptio importet productionem Unionis. Verum insuper ostendit, quia Unio, ut inquit S. Thomas 1. dist. 30. a. 2. ad 4. considerata secundum habitudinem ad terminum, sic terminatur ad Personam Filij, in qua est facta Vnio, sed secundum habitudinem ad principium, sic refertur ad totam Trinitatem, quæ Unionem fecit: ideo rectè dici, Humanitatem à sola Persona Filij esse assumptam; quod Adversarius non insinuavit; sed mox pergit, & dicit secundò. [Cujus relationis essentiam S. Th. hic q. 2. a. 7. sic exponit; Vnio, de qua loquimur, est relatio quedam, considerata inter naturam Divinam & Humanam, secundum quod conveniunt in Una persona Filij DEI. Ibidemque subjungit, eam realiter esse in creatura.] Idem asserit P. Haun. n. 227. dicens, quod Unio sit actualis & ultima determinatio ad esse unitum; unde non potest existere sine extremis, tanquam terminis ad se mutuo relatis, ac connexis, & præcedenti numero addit rationem, quare unio in sola humanitate, & non in Persona DEI recipiatur, tanquam in subiecto perfectibili, quam Rationem S. Thomas l. c. expressit his Verbis: *Realiter quidem est in Creatura (per cuius mutationem talis relatio innascitur) non autem est realiter in DEO, sed secundum rationem tantum: Quia non innascitur secundum mutationem DEI.*



348. Hanc doctrinam sui Magistri Adversarius iterum silentio pertransiit; sed ex eodem solummodo excrispit definitionem, non unionis, sed assumptionis, seu unionis, quatenus respectu personæ assumptæ est actio, denominans illam assumptam, & respectu humanitatis est Passio, denominans illam assumptam: de cuius assumptionis reali distinctione ab Vnione, & ratione denominandi solum Filium DEI assumptem, & humanitatem assumptam, locutus est P. Haunoldus n. 226. Qui insuper alia duo prædicata Vniopis hypostaticæ expressit, ab Adversario, non autem à S. Thoma neglecta; nempe quod Vnio sit substantialis juxta S. D. hic q. 2. a. 6. ad 2. & 3. Et quod sit supernaturalis, quia teste S. D. a. 10. in corp. per illam humana natura elevatur in DEVM, cum sit (supra) naturalitatem suæ nature. Vnde ad subjunctam ab Adversario suæ thesæ clausulam, quæ, inquit ille, non exposuit Haunoldus, ut oportebat, occurrit illud Poëtæ: *Mutato nomine, de te Fabula narratur.*

## CONTROVERSIA LXXVIII.

## TERMINVS VNIONIS.

*Concilij Toletani de hoc Sententia refertur.*

349. **P**ROPOSITIONEM dogmaticam, in Symbolo Fidei Concilij Toletani expressam, & propterea ex intentione pariendi sensum absolutum, & completum, sine restrictione mentali prolatam, quæ dicitur *Solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in Vnitate Divine Nature*, id est, in eo quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati, P. Haunoldus lib. 4. n. 234. sine doctrinæ inconsequentia, rectè negavit, exponi posse ad modum propositionis imperfectæ, & incompletæ, cum restrictione mentali quandoque ex rationali causa licet prolata: Cum enim vis significandi juxta S. Thomam determinetur ab intentione loquentis, ut Contr. 72. ex S. D. ostensum est, & propositiones à Concilijs ex intentione omnibus fidelibus declarandi articulos Fidei enunciatae, ad eum duntaxat sensum referantur, quem Verba explicitè & sine reservatione aliorum Verborum continent, non nisi falsò & ridiculè in alio sensu exponerentur, si v. g. propositio simpliciter negans, Vnionem hypostaticam immediatè terminari à Natura Divina, explicaretur per additionem Verborum tanquam à termino adæquato: *Non in Vnitate Divine Nature, sed in singularitate Personæ, sicut*